MASTER NEGATIVE
NO. 93-81451-3

AUTHOR:

BANGERT, ADOLPH

TITLE:

DE FABULA PHAETHONTEA

PLACE:

HALLE

DATE:

1885

Master Negative #

93-81451-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Dissertation

885
Z8 v.3 Bangert, Adolph 1858-
De fabula Phaethontea
Halle 1885

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6/2/93 INITIALS BE
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

DE

FABULA PHAETHONTEA.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM
AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
AB
AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE
IN
ACADEMIA FRIDERICIANA
HALENSI CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA
RITE IMPETRANDOS
SCRIPSIT

ADOLPHUS BANGERT
RHENANUS.

1858

HALIS SAXONUM
TYPIS DESCRIPSIT S. SCHLESINGER
MDCCCLXXXV.

Saepenumero de mythologia Graecorum cogitantes eandem fabulam aliis temporibus ab aliis auctoribus aliter tractatam inuenimus, qua de causa rectissime Schoemannus[1]) mihi videtur dixisse: „Nulla unquam de diis rebusque divinis traditio una apud omnes Graecos adeo obtinuit, ut non de iisdem diis deorumque actionibus alia apud alios, multaque prorsus inter se pugnantia ferrentur, errantque imperitissime, si qui ita de Graecorum religionibus loquuntur, quasi aliquid dogmaticae doctrinae apud eos fuerit et tanquam sacrosancta quaedam theologia, sacerdotali studio custodita populoque inculcata, a qua dissentire nefas esset.“ Quae opinio quam uera sit, facile intellegemus, cum hac in commentatione fabulam Phaethonteam, quomodo a scriptoribus veteribus tractata sit, explanauerimus. Ac quamquam vix omnia, quae de nostra fabula a veteribus conscripta sunt, hoc libello congerere possumus, praesertim cum uetustissimi et iidem ad hanc fabulam intellegendam optimi auctores aut omnino aut magna ex parte non iam exstent, tamen ordine quodam nonnulla testimonia, quae aliis temporibus ab aliis prolata sunt, congerere atque inter se comparare conabimur. Etsi ita, unde haec fabula originem ceperit et fortasse etiam, quid sibi uelit, non prorsus intellegere possumus, tamen hic ordo ad rem intellegendam non modo utilissimus sed etiam maxime necessarius est[2]). Semper vero

---

[1]) Opusc. acad. II p 2.

[2]) Cf. C. O. Müller: Prolegomena zu einer wissenschaftlichen mythologie p. 129: „Hiermit soll indess keineswegs geleugnet werden, dass eine genaue chronologische anordnung der zeugnisse für das mythologische studium höcht erspriesslich, ja notwendung sei; nur muss ihre anwendung ein sehr bebutsames urteil leiten.“

tenendum nobis est, mythum quendam, etiamsi a poeta quoquam eius mentio non fiat, tamen huic poetae iam cognitum esse posse, immo uero, nisi huic poetae, certe aliis regionibus aliis hominibus, qui eodem tempore vixerunt. Nam ut exemplum afferam, Homeri quae dicuntur carminibus fabula Phaethontea omnino non narratur. Qua ex re minime nobis efficiendum est, fabulam illo tempore, quo carmina Homerica composita sunt, neque cuiquam neque ullo Graeciae loco cognitam fuisse.

Sed priusquam ad rem ipsam aggrediamur, eos viros doctissimos afferemus, quorum libris in hac commentatione componenda imprimis adiuti sumus, Welckerum[1]), Uckertum[2]) Wieselerum[3]). Praeter quos, quibus usi simus, suo quemque loco adnotabimus.

Jam vero disserere incipiamus. Fabulam quidem Phaethonteam Homeri carminibus omnino non exstare supra diximus, saepius vero adiectivum „*φαέθων*" Solis nomini attributum invenimus, ut

Il. XI. 735: *εὖτε γὰρ ἠέλιος φαέθων ὑπερέσχεθε γαίης,*
Od. V. 479: *οὔτε ποτ' ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν,*
Od. XI. 16: *Ἠέλιος φαέθων καταδέρκεται ἀκτίνεσσιν,*
Od. XIX. 441: *οὔτε μιν Ἠέλιος φαέθων ἀκτῖσιν ἔβαλλεν,*
Od. XXII. 388: *τῶν μέν τ' Ἠέλιος φαέθων ἐξείλετο θυμόν*
Orph. fragm. VII. 19: *εὐθὺς ὅτ' ἐκ περάτων γαίης φαέθων ἀνορούσων.*

Atque ut saepius fit, ex hoc dei attributo postea noua persona exorta est, ex „*Ἠέλιος φαέθων*" fit Helios et Phaeton, neque mirum est, quod postea filius Solis appelatur Phaethon.

---

1) Welcker: 1) Die Aeschylische trilogie. Darmstadt 1834.
2) Die griech. tragödie vol. II p 594 seqq.

2) Uckert: Zeitschrift für altertumswissenschaft 1838 n. 53. p. 432 seqq

3) Wieseler: 1) s. v. Phaeton in Ersch und Gruber. XXI p. 384.
2) Phaethon. Eine archäologische abhandlung Gött. 1857.

Itaque uix dubitandum est, quin antiquissimis temporibus Phaethon idem fuerit ac Sol[1]), cuius rei argumentum hoc quoque afferre possumus, quod etiam postea, cum tota fabula Phaethontea omnibus iam nota esset, tamen saepius a poetis, ut a Uergilio, Ualerio Flacco, Silio Italico, Nonno, aliis Sol ipse Phaethontis nomine appellatur[2]), qua ex re nunquam prorsus ueterrimae fabulae memoriam euanuisse apparet.

Sed cum Hesiodi theogoniae quae dicitur u. 759 Homerico more Sol ipse illo attributo „*φαέθων*" significetur, haud multo post de Phaethonte Aurorae filio haec narrantur u. 986 seqq;

„*αὐτάρ τοι Κεφάλῳ φιτύσατο φαίδιμον υἱὸν*
ἴφθιμον Φαέθοντα θεοῖς σ'ἐπιείκελον ἄνδρα.
τόν ῥα νέον, τέρεν ἄνθος ἔχοντ' ἐρικυδέος Ἥβης
παῖδ' ἀταλὰ φρονέοντα φιλομμειδὴς Ἀφροδίτη
ὦρτ' ἀνερειψαμένη καί μιν ζαθέοις ἐνὶ νηοῖς
νηοπόλον νύχιον ποιήσατο, δαίμονα δῖον."

Quae quidem traditio discrepat ab omnibus fere aliis auctoribus, qui de Phaethonte agunt. Hoc enim loco Phaethon, filius Aurorae et Cephali propter excellentem corporis formam a Uenere raptus templi huius deae custos fit. Atque equidem de hac re cum Wilamowitzio[3]) et Roberto[4]) consentio, qui hunc Phaethontem nihil aliud nisi stellam Luciferum et totam historiam esse „catasterismum" putant. Sed quoniam eam solam fabulam, quae agit de Phaethonte, Solis et Clymenes filio, a Joue ex alto in Eridanum flumen demisso et postea ab Heliadibus sororibus et Cygno defleto tractandam nobis proposuimus, hanc fabulae formam neglegemus[5]).

---

1) Cf. Preller: Griech. mythol. III. aufl. vol. I p. 357.
Robert: Die Phaethonsage bei Hesiod in „Hermes" XVIII p. 440.
Welcker: Die Aeschyl. tril. p. 241.

2) Cf. Pape: Wörterbuch d. gr. eigen. s. u. *Φαέθων*.

3) v. Wilamowitz-Möllendorf: Phaethon. Hermes XVIII 416 seqq.

4) Robert 1) Eratosth. Catast. rel. 194 seqq.
2) Hermes XVIII p. 441.

5) Schoemannus (opusc. acad. II p. 378 seqq.) Pausaniae (I 3, 1) descriptionem ab hoc Hesiodi loco minime discrepare dilucide ostendit.

Sed cum iis, quae Hesiodi nomine praedita nobis exstant, scriptis haec una fabulae forma tradatur, duobus aliorum scriptorum locis iam Hesiodeam etiam nostram fabulam fuisse comperimus. Nam primum Eustathius ad Od. XI 325 p. 1689,4 Hesiodum dicere adnotat Solem cum Clymene concumbentem Phaethontem genuisse. Sed cum Robertus (Hermes XVIII p. 437) fontem huius narrationis parum certum illud Schol. Ambr. Od. XI 325 esse recte demonstrauerit, in quo Hesiodi nomen non minus ad illam de Iphiclo quam de Phaethonte historiam referri posset, hic locus quidquam momenti non haberet, nisi alio ex loco Hesiodum iam fabulam nostram cognouisse intellegi posset, qui locus est in Hygini fabulis 152 et 154. Nec uero haec narratio prius certam fidem habebat, quam Roberti[1]) imprimis opera genuina, ut mihi uidetur, forma eius ita restituta est:

„Phaethon Hesiodi.

Phaethon Solis et Clymenes filius cum clam patris currum conscendisset et altius a terra esset elatus, hinc timore decidit in flumen Eridanum. hunc Jupiter cum fulmine percussisset, omnia ardere coeperunt. Jouis ut exstingueret, amnes undique irrigauit; omneque genus mortalium interiit praeter Pyrrham et Deucalionem. at sorores Phaethontis, quod equos iniussu patris iunxerant, in arbores populos commutatae sunt. harum lacrimae (ut Hesiodus indicat) in electrum sunt duratae: Heliades tamen nominantur, sunt autem Merope Helie Aegle Lampetie Phoebe Aetherie Dioxippe. Cygnus autem rex Liguriae, qui fuit Phaethonti propinquus, dum deflet propinquum, in cygnum conuersus est. Is quoque moriens flebile canit."

Ac quamquam minime est mirandum, quod omnes fere ante Roberti explicationem corruptam huius loci formam uix dignam putabant, qua confisi ueram Hesiodi narrationem inuentam esse existimarent, tamen et ne nunc quidem prorsus cum Roberto consentire possum, qui sine dubio hanc fabulae

[1]) Eratosth. catast. rel. p. 214.
Hermes XVIII p. 435. Cf. etiam Max Mayer: Excurs über Hygin. fab. 152 + 154 in Hermes XX p. 135—143.

formam Hesiodeam esse putat. Certe enim Hyginus hoc loco ipsum Hesiodum fontem in manibus non habuit, sed sine dubio ille auctor, ex quo Hyginus suam historiam hausit et qui Alexandrinus quidam fuisse uidetur, Hesiodum suum fontem adnotauit. Ac cum Robertus alium Hygini locum (poet. astr. II, 42), quo de eadem fabula Phaethontea agitur, ex compilatione illa catalogorum Eratosthenis, quam „καταστερισμούς Eratosthenis" appellat, cuius operis „epitome" (cf. Eratosth. catast. rel. p. 3) adhuc nobis seruata sit, deriuatum esse putet, etiam hanc fortasse nostram fabulam ad Eratosthenem auctorem referre nobis liceret, qui iterum nescio an Hesiodum auctorem protulisset, nisi Ernesti Maassii commentatione (Analecta Eratosthenica. Berol. 1883 p. 1—55) totam hanc Roberti de catasterismis sententententiam falsam esse demonstratum esset. Praeterea uero cogitandum nobis est multas narrationes mythologicas, si certus auctor antiquior ignotus erat, facile ad Hesiodum theogoniae auctorem reuocatas esse. Qua de causa uix dubitari potest, quin ille auctor, etiamsi Eratosthenem Roberto auctore supposuimus, fabulam, quae in Hygini fabulis traditur, Hesiodeam esse putauerit, neque tamen sine ulla dubitatione rem ita se habere confirmare possumus. Quae cum ita sint, nostra quidem sententia inueniri non potest, cur fabula ab Hygino tradita Hesiodea esse non possit, attamen fabula non certissime ad illum antiquissimum auctorem referri potest, ut Robertus fecit his uerbis (Erat. cat. rel. p. 240): „itaque illa" (scil. fabula Phaethontis) „quoque aut ad Catalogos aut ad Eoeas referenda est". Immo uero cur fabulas de Heliadibus et Cycno post Hesiodi tempora ad Phaethontis interitum additas esse putemus, infra (p. 39) exponemus.

Sed dixerit fortasse quispiam certum antiqui auctoris testimonium nos habere, ex quo ante Aeschylum poetam fabulam Phaethonteam omnino non tractatam esse eluceat. Est enim in Plinii H. N. 37, 11: „Phaethontis fulmine icti sorores, fletu mutatas in arbores populos, lacrimis electrum omnibus annis fundere iuxta Eridanum amnem, quem Padum uocamus, et electrum appellatum, quoniam sol uocitatus sit ἠλέκτωρ, pluri-

mi poetae dixere, primique, ut arbitror, Aeschylus, Philoxenus' Nicander, Euripides, Satyrus.“ Ipsis Plinii uerbis „ut arbitror“, quam incertum hoc sit testimonium, facile intellegi potest, praeterea autem hoc loco eam solam fabulam de Heliadibus et Cycno non ante Aeschylum tractatam esse a Plinio confirmatur, qua ex re minime ab Hesiodo interitum Phaethontis nondum commemoratum esse apparet. Adde quod iam a Pythagoreis fabula Phaethontea cognita esse uidetur[1]), ne dicam de Pherecyde, qui nominatur in ea Hygini fabulae 154 parte, quam Roberto praeeunte non genuinam iudicauimus.

Sed iam ad primam certam fabulae nostrae commemorationem transgrediamur, ad Aeschyli Heliades. Quamquam pauca huius Aeschyli dramatis fragmenta seruata sunt, tamen, quomodo poeta fabulam tractauerit, diuersis indiciis magna ex parte concludi potest, id quod iam Welckerus[2]) et G. Hermannus[3]) ante nostram aetatem fecerunt. Certe cum Hermanno e fragmentis „facile coniici potest, Phaethontis temeritatem luctumque sororum argumentum fuisse illius tragoediae.“ In fragmento 65b[4]) nominantur *„ῥῖται μὲν δὴ πατρός.“* Qui montes ubi siti sint cognoscere possumus e Plin. H. N. 37, 11: „Quod Aeschylus in Iberia, hoc est in Hispania, Eridanum esse dixit, eundemque appellari Rhodanum, Euripides rursum et Apollonius in Adriatico litore confluere Rhodanum et Padum, faciliorem ueniam facit ignorati succini in tanta orbis ignorantia“ [5]). Ex his, quae attuli, pro certo habere poteramus, locum dramatis ab Aeschylo ad Rhodanum flumen positum fuisse, nisi fragmento 67 *„Ἀδριαναί τε γυναῖκες τρόπον ἕξουσι γόων“* Aeschylum omnino non certam harum regionum

---

1) Aristot. Meteor. I 8, 2.
Olympiod. in Arist. Meteor. I 8 (p. 198 seq. Ideler).

2) Die Aeschyl. tril. p. 566 seqq.
Allgemeine schulzeitung 1828 II n. 30 u. 31.

3) De Aeschyli Heliadibus. Opusc. III p. 130 seqq.

4) Utar et in Aeschyli et in Euripidis fragmentis citandis numeris Dindorfianis (Poet. scen. Graec. ed. IV.).

5) Cf. Appuleium de orthographia ab Ang. Maio ed. p. 135.

scientiam habuisse eluceret, ita ut Eridanum flumen Iberiae esse ac simul locum, in quo Phaethontis sors a mulieribus[1]) lugeretur, ad mare Adriaticum situm esse dicere posset. Quod si uerum est, etiam Welckeri coniectura[2]) de causa, cur Aeschylus dramatis sui locum ad Rhodanum posuerit, ad irritum cadit.

Sed magis mihi placet illa Welckeri[3]) ab Hermanno et Wilamowitzio[4]) refutata, a Nauckio comprobata sententia, qua argumentum totius Aeschyli tragoediae nobis seruatum esse dicit Schol. ad Od. XVII 208[5]):

> *„Ἥλιος Ῥόδῃ μιχθεὶς τῇ Ἀσωποῦ, παῖδας ἴσχει Φαέθοντα καὶ Λαμπετίην καὶ Αἴγλην καὶ Φαέθουσαν. ἀνδρωθεὶς δὲ ὁ Φαέθων, ἤρετο τὴν μητέρα τίνος εἴη πατρός. πυθόμενος δὲ ὡς Ἡλίου, παρεγένετο ἐπὶ τὰς τοῦ πατρὸς ἀνατολάς. γνωρισθεὶς δὲ τούτῳ, ἐδεῖτο τοῦ πατρὸς ἐπ' ὀλίγον αὐτῷ συγχωρῆσαι τὸ ἅρμα καὶ τοὺς ῥυτῆρας, ὅπως κατοπτεύσειε τὸν κόσμον. ὁ δὲ Ἥλιος ἀκούσας, παραυτὰ μὲν ἀντέλεγεν, εἰδὼς ἃ πείσεται. σφόδρα δὲ αὐτῷ ἐγκειμένῳ συγχωρεῖ, διδάξας ὅτι τό μεταίχμιον. ἐπιβὰς δὲ ἐκεῖνος τοῖ ἅρματος, ἀτάκτως ἤλαυνεν, ὥστε πάντα τὰ ἐπὶ τῆς γῆς φρύγειν. καταπεσόντος δὲ αὐτοῦ μετὰ τῆς θείας φλογὸς ἐπὶ τὸν Ἠριδανὸν ποταμὸν καὶ φθαρέντος, αἱ ἀδελφαὶ παραγενόμεναι κατὰ τὸν τόπον τοῦ Κελτικοῦ πελάγους ἐθρήνουν ἡμέρας ἀδιαλείπτως καὶ νύκτας. ὅθεν κατελεήσας ὁ Ζεὺς ταύταις ἀνάμνησιν ἐνεποίησε τῶν κακῶν, μεταμορφῶν αὐτὰς εἰς αἰγείρους, αἵπερ εἰσὶ δένδρα. λέγεται δὲ καὶ ἐντεῦθεν ἀπογεννᾶσθαι τὸν ἤλεκτρον, τῆς ἀρχαίας οἰμωγῆς ἀποδακρυόντων τοῦτον καρπὸν τῶν δένδρων. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ τοῖς τραγικοῖς.“*

---

1) Cf. Polyb. 2, 16. Diodor. Sic. V 23. Scymn. u. 399.

2) Die Aeschyl. tril. p. 574.
Allg. schulz. l. c. p. 239.

3) Die Aeschyl. tril. p. 570.

4) Analecta Euripidea. Berlin 1875. p. 181 adn. 3.

5) Hermann Opusc. III p. 133.

Equidem illo Plinii loco supra commemorato quinque appellari poetas tragicos Aeschylum, Philoxenum, Nicandrum, Euripidem, Satyrum accuratissime recordor. Quam ad rem Hermannus (l. c. p. 134) recte mihi adnotasse uidetur, scholiastam ipsum non tam ex ipsis tragicis quam ex aliquo mythographo rem haurire potuisse. Recte quidem, sed ipse mythographus ille fortasse e tragicis uel ex Alexandrino tragicos secuto hausit et certe in hac re potius magnos illos tragicos Aeschylum et Euripidem compilauit quam poetas minoris ordinis, ut Philoxenum Nicandrum Satyrum. Neque uero, si aut Aeschyli aut Euripidis argumentum illo scholio traditur, quisquam id Aeschylo attribuere dubitare potest. Nam ut hoc unum afferam, totum Euripideae tragoediae argumentum, de quo accuratius infra nobis dicendum erit, ex illo Solis et Clymenes stupro pendet, quo Phaethon genitus est, quod ab Aeschylo suppositum esse nullo modo putare possumus. Ipsae enim Heliades sorores, quae dolore fratris mortui affectae „*ἡμέρας ἀδιαλείπτως καὶ νύκτας*“ flent, Solem cum matre iusto matrimonio coniunctum fuisse probant atque ipsa hac re illud, quod esse Aeschyleum argumentum coniicimus, multo magis congruit cum antiquissima narratione, quam Hyginum secuti Hesiodeam esse suspicati sumus. Nam quod matris nomine et sororum numero inter se differunt duae hae narrationes, parui mihi uidetur esse momenti, cum a posterioribus nomina ex diuersis fabulae nostrae formis facile mutari possent, sine dubio in utraque et Hesiodi et Aeschyli fabula Phaethon patris currum sibi petit, non tam ut comperiat, num Sol re uera pater suus sit, quam ut totum mundum conspicere possit.

Fortasse etiam ex illo Stesichori loco, quem cum fragmento Aeschyleo 66 (cf. Hermann. l. c. p. 137) coniunxit Athenaeus: *Ἀέλιος δ᾽ Ὑπεριονίδας δέπας ἐςκατέβαινε χρύσεον, ὄφρα δι᾽ ὠκεανοῖο περάσας ἀφίκοιθ᾽ ἱερᾶς ποτὶ βένθεα νυκτὸς ἐρεμνᾶς, ποτὶ ματέρα κουριδίαν τ᾽ ἄλοχον παῖδάς τε φίλους* iusto matrimonio in fabula Aeschylea Solem cum matre Phaethontis et Heliadum coniunctum fuisse coniicere nobis licet.

Denique utrum chorus tragoediae nostrae ex Heliadibus, ut putat Welckerus[1]) an „ex nymphis ad Padum, ac fortasse ex Oceanitidibus“ [2]) constiterit, ad hanc quaestionem non pertinet, cum nobis quidem de fabulae tantum forma ab Aeschylo tradita, non de ea quaestione, quomodo tragoedia ipsa sit composita, disserendum sit.

Breuiter etiam hoc loco adnotandum mihi uidetur, Pindarum, aequalem Aeschyli, Olymp. VII u. 25 seqq. et u. 131 seqq. fabulam nostram commemorare, formam Rhodiam, ut uidetur, ita fere nobis afferentem: Sol, qui Rhodi insulae imperium a Joue patre accepit, cum Rhodo nympha septem genuit filios prudentissimos, quorum in numero scholiis ad hos uersus adscriptis etiam Phaethon nominatur. Qua in genealogia non dubitandum est, quin nomen matris „Rhodus“ idem sit ac „*Ῥόδη*“, id quod supra in Schol. ad Od. XVII, 208 inuenimus. Deinde ex mala interpretatione horum Pindari uerborum: „*τὰν ποντίαν ὑμνέων παῖδ᾽ Ἀφροδίτας Ἀελίοιό τε νύμφαν Ῥόδον*“ illa genealogia exorta esse uidetur, qua Rhodus filia Ueneris et Solis fuit[3]).

Ac ne id quidem praeterituri sumus, quod a Diodoro Siculo (V, 56) eodem fere modo atque a Pindaro fabula narratur.

Cum adhuc omnia fere, quae de Phaethontis fabula prodita erant, plus minusne coniectura nobis componenda essent, nunc, cum ad Euripidis Phaethontem transgredimur, maiore cum fiducia ad rem nostram aggredi nobis licet, cum bona fortuna non modo complura minora sed etiam duo maiora fragmenta nobis sint seruata. Quae fragmenta cum in codicis Claromontani, qui est codex palimpsestus, foliis duobus postremis ualde obscurata et detrita nobis tradita sint, Imm. Bekkeri, Henr. Hasii, G. Hermanni[4]) imprimis opera ac dili-

---

[1]) Die Aeschl. tril. p. 570.
Allg. schulz. p. 233.
[2]) Hermann l. c. p. 136.
[3]) Natalis Comes Myth. V, 17 (Boeckhii Pindarus. tom. II 2 p. 169).
[4]) Opusc. III p. 3—21.

gentia quantum fieri potuit, restituta et correcta sunt. Ac postquam princeps noster et praeclarissimus poeta Goethius[1]) totum Euripidis tragoediae argumentum ac compositionem restituere conatus est, paulo post etiam alii et iidem doctissimi uiri eum secuti sunt ut Welckerus[2]), Rauius[3]), Hartungius[4]) et nostris temporibus Wilamowitzius[5]). Neque nos, cum tot tantique viri praeierint, tantam rem iterum conari audebimus, sed hoc tantum nobis proposuimus, ut, quantum possumus, ea, quae certa nobis fragmentis traduntur, componamus et ex his ita inuentis nonulla fortasse de fabulae forma Euripidea coniiciamus, non de compositione atque ordine tragoediae iterum disputabimus.

Euripides igitur fabulam nostram ita fere profert: Clymene, Oceani filia (fr. 781,67 *Ὠκεανοῦ κόρα*) in matrimonium data est Meropi, eius terrae regi, quam Sol e quadriga sua primam mane aurea flamma ferit, nigri autem uicini hanc terram lucida Aurorae et Solis stabula appellant (f. 771). Nec uero quod Sol tam propinquus est, haec terra Solis radiis comburitur, nam (fr. 776):

θερμὴ δ'ἄνακτος φλὸξ ὑπερτέλλουσα γῆς
κάει τὰ πόρρω, τἀγγύθεν δ'εὔκρατ' ἔχει.

Domus autem regia haud procul ab ora maritima (775,31.60) sita et Solis domicilio uicina est. E toto deinde argumento cognosci potest, Phaethontem, qui filius Meropis senis (fr. 775,15) et Clymenes putatur, re uera autem stupro Solis cum Clymene facto genitus est, die eodem Merope iubente cum sponsa diuina (fr. 781,28) et ditissima (fr. 781,25) matrimonio coniunctum iri (fr. 775, 68 seq.). At adulescens, qua est animi magnitudine,

---

[1]) Ges. werke. uol. 46. p. 30 seqq.

[2]) Die Aeschyl. tril. p. 575 seqq.

[3]) S. J. E. Rau: Epistola de Euripidis Phaethonte. Lugd. Bat. 1832. Me hanc dissertationem tantum ex adnotationibus, quas Welckerus (Die griech. trag. II p. 594 seqq.) de ea profert, cognouisse ualde lugeo.

[4]) a) Rhein. Mus. 5. jahrg. 1837. p. 573 seqq.
b) Euripides restitutus. Hamb. 1844. uol. II p. 191—209.

[5]) Hermes XVIII p. 396—434,

cum splendido matrimonio sibi oblato se magis deprimi quam efferri putet (cf. fr. 772:

ἐλεύθερος δ'ὢν δοῦλός ἐστι τοῦ λέχους,
πεπραμένον τὸ σῶμα τῆς φερνῆς ἔχων)

conditionem abnuit ac patriam relinquere quam matrimonium sibi odiosum inire mauult (fr. 774: *ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ*). Quod cum mater compererit, ne filium amatissimum amittat, quo parente genitus sit, cum filio communicare constituit, ne diutius adulescens patris consilio resistat. Neque enim sponsa ipsa Phaethonti taedio esse uidetur, sed, quod dea et praeterea ditissima est, a matrimonio cum ea ineundo deterretur adulescens. Sed cum filius certum originis suae indicium a matre flagitet, illa respondet Solem quondam cum ipsa concumbentem pollicitum esse, se filio ex Clymene nato donum praestaturum esse, quod flagitaret. Quo nuntio accepto Phaethon se Solis aedes aditurum esse dicit, ut certum originis sui indicium ab ipso Sole patre petat (fr. 775,1—18). Deinde quomodo tragoedia nostra peracta sit, non huius loci est inquirere, sed tantum de fabula nostra aliquid nobis coniiciendum est. Sine dubio Phaethon Solem patrem aggressus ab eo petit, ut in unum diem currum solarem sibi mandet, atque Sol, quod antea Clymenae matri promisit, nunc soluere coactus, currum ei mandat. Cum uero perniciem iuuenis praesagiat, non solum, quomodo currus ei regendus sit, filium docet, sed etiam ipse in equo funali sedens eum sequitur, ut in ipso itinere adulescentem audacem adhortationibus suis adiuuet (fr. 779). De morte deinde fragmentis nobis traditis hoc unum certo cognoscere possumus Phaethontem Jouis fulmine percussum et e curru deietum esse (fr. 781,64 seq. *ὀτοτοτοῖ, κεραύνιαί τ'ἐκ Διὸς περίβολοι πλαγαί*).

Haec fere habemus, quae ex fragmentis certa enucleare possimus et ex his solis Euripidem uehementer a tradita narratione discessisse facile cognoscitur. Solet enim poeta noster sacrosanctas illas de dis narrationes profanare et quasi e caelo in terram detrahere. Atque ita fit, ut saepius imprimis ab Aeschylo, qui semper summa pietate tradita conseruet, disce

dat Euripides[1]. Neque enim illum imitari, sed potius quam maxime in eadem re tractanda ut in aliis ita etiam in nostra tragoedia ab eo discedere Euripides sibi proposuerat[2]. Itaque matrem quidem Phaethontis ex antiqua traditione Clymenen uindicat (cf. p. 6), reliqua autem fere omnia mutat. Nam id, quod summum est, Phaethon apud Euripidem iniusto stupro genitus est atque ex hoc scelere totum discrimen pendet. Nam cum apud priores auctores Phaethon totius mundi conspiciendi studio inflammatus (cf. p. 9 *ὅπως κατοπτεύσειε τὸν κόσμον*) „clam patris“ (p. 6) aut postquam patrem precibus commouit (p. 9) currum conscendat, apud Euripidem Sol ipse iureiurando, quod in stupro suo fecit, constrictus currum filio suo mandare coactus est, quamquam interitum eius prouidet. Nam, quae est Euripidis de iustitia sententia, ipsum deum pro scelere iustam meritamque poenam soluentem filiumque carissimum amittentem facit. Nec uero dubium mihi uidetur, quin Euripides primus hoc solis stuprum[3] cum Clymene factum protulerit, qua re fieri non potest, ut in Euripidis fabula Heliades in scenam prolatas esse putemus. Semel quidem Merops rex, qui haud fortuito hoc nomine appellari a poeta uidetur, falli potuit, uix autem tam stultus ac caecus ille „homo“ haberi potest, ut eum effugiturum fuerit, si Clymene praeter Phaethontem etiam tres uel septem filias cum Sole genuisset. Sed nomen ipsum „Heliades“ demonstrat antiquissima fabula has puellas legitimas Solis filias putatas esse. Neque his de ignoti ac pelice orti fratris morte lugendi causa fuisset. Fortasse etiam haec mutatio eo euenit, quod Euripides, quantum scimus, hoc tragoedia (fr. 781, 12) primus nostrorum in hac re auctorum Apollinem cum Sole contaminauit, qua re fieri non potuit, quin Clymene ex uxore pelex Solis (Apollinis) fieret. Quibus rebus comprobatis nullam omnino in Euripidis fabula Heliadum mentionem factam esse

[1]) Bernhardy: Grundr. der griech. litt. 2. bearb. Halle 1859 II 2. p. 354.

[2]) Cf. Welcker: Die griech. trag. p. 610.

[3]) Similiter in alia fabula filium Jonem stupro cum Creusa facto a Sole genitum fingit Euripides.

persuasum habeo, neque uerba illa (fr. 784) „*ψυκτήρια δένδρεα φίλαισιν ὠλέναισι δέξεται*“ de Heliadibus sororibus in populos mutatis dicta esse possunt. Quare etiam Wilamowitzii coniectura de Heliade, quam post Phaethontis interitum nuntium in domum regiam afferre suspicatur (Hermes p. 406) ad irritum cadit, ac simul illam de Cycno fabulam Euripidis tragoediae defuisse arbitror. Et ne propterea quidem, quod Lactantius Placidus (Narrat. fab. II) fabulam de Heliadibus narrans Euripidem auctorem affert, equidem opinionem meam mutabo. Nam mythographus ille postremus uix dignus est, cui certam habeamus fidem, ac praeterea Euripides alio loco (Hippolyt. 732) Heliades breuiter significat, quem locum haud scio an Lactantius ante oculos habuerit.

Neque minus noua profertur causa ab Euripide, qua commotus Phaethon Solem patrem precibus adiisse dicitur. Merops, nomine pater Phaethontis, filium cum sponsa quadam diuina ac ditissima coniungere uult, adulescens autem, ne dotis seruus fiat, splendidam conditionem sibi oblatam refutat. Accuratius hanc rem supra (p. 12 seq.) exposui. Quis autem est illa sponsa? Haec res ab aliis aliter diiudicata est. Welckerus[1]) Oceanitidem, Rauius[2]) Auroram eam esse suspicatur, quem secuti sunt Hartungius[3]) et Wieselerus[4]). Neque prorsus reiicienda mihi uidetur haec opinio. Nam minime erat mirandum, si Sol ipse, cui filii fortuna cordi esse debebat, hanc deam, suam famulam, Meropi nurum obtulisset. Ac fortasse uerba illa (fr. 775, 50 seq.) *θεὸς ἔδωκε, χρόνος ἔκρανε λέχος ἐμοῖσιν ἀρχέταις* hanc sententiam probant.

Sed multo aliter sentit Wilamowitzius, qui[5]) cantico illo (fr. 781, 18 seqq.) summa audacia mutato Uenerem ipsam esse sponsam Phaethonti destinatam putat. Neque enim Euripidem nouam fabulam inuenisse, sed solum Phaethontem Aurorae et Cephali filium (cf. Hes. theog. u. 986 seqq.) cum

[1]) Aeschyl. tril. p. 577.

[2]) l. c. p. 55.

[3]) Eur. rest. p. 194

[4]) Phaethon p. 7. adn. 2.

[5]) Hermes XVIII p. 410 seqq.

Solis et Clymenes filio contaminasse arbitratur. Quam quidem doctissimi atque praestantissimi uiri opinionem mihi quoque primo aspectu optime placuisse minime nego, sed diutius atque accuratius de hac re cogitanti minus certa mihi esse uidebatur illa sententia. Nam primum etiam apud Hesiodum Uenus splendidum adulescentem rapit non ut coniugem, sed ut tantum templi custodem habeat. Sed hoc fortasse parui est momenti. Quis autem est deus ille (fr. 775, 50 seq.), qui principibus Aethiopum Uenerem, uuam ex magnis duodecim deis, in matrimonium det? Sol Auroram quidem, famulam suam, filio in matrimonium dare potest, non Uenerem, potentissimam deam.

Sane Graeci et imprimis Athenienses haud difficiles erant, si quis de deorum maiestate et praeter ceteros de Uenere quid ridiculi proferebat (cf. Od. VIII 266 seqq.), attamen uix iis probatum fuisset, si poeta Uenerem, Uulcani uxorem, omnibus adhuc traditis narrationibus neglectis cum Phaethonte, notho Solis et Oceanitidis, imparibus nuptiis coniunxisset. Nec quisquam dicat, re Uenerem non cum Phaethonte coniunctam fuisse, quoniam ante nuptias iuuenis mortuus sit. Recte illud quidem, sed tota Euripideae fabulae argumentatio ridicula fuisset, si omnes, qui spectabant, iam ab initio sponsam maiorem ac sublimiorem esse, quam quae cum Phaethonte coniungi posset, intellexissent.

Neque Uenerem apud Pindarum (Ol. VII, 25) matrem Rhodi, ex qua Phaethon ortus est, nominari omittere uolo; quae quidem traditio si Euripidi et Atheniensibus nota fuisset, Phaethon suam ipsius auiam Wilamowitzii opinione in matrimonium accepisse putandus erat. Sed haec res parui mihi ipsi uidetur momenti; nam poeta alia fabulae forma minime impediri potuit, ne rem sua ratione tractaret.

Quamquam uero nemo omnino posteriorum auctorum, qui innumerabiles fere nostram fabulam tractauerunt, harum nuptiarum, quas Euripides in fabula sua profert, mentionem facit, tamen hoc sine dubio factum esset, si Euripides tanta fuisset audacia, ut Uenerem ipsam sponsam faceret. Nam Lucianus, ut exemplum afferam, certe tale deorum ludibrium uix praeteriisset, si apud Euripidem inuenisset.

Sed satis mihi multa uerba fecisse uideor de hac re. Me ut Wilamowitzii opinionem comprobem adduci non posse confiteor et potius Auroram sponsam probo, donec alius nouam et accuratius confirmatam profert sententiam.

Magis uero cum ea Wilamowitzii[1]) sententia consentio, qua combustum Phaethontis corpus aut in Aethiopiam aut in Oceanum delatum esse dicit. Nam paulo postquam currum inscendit, Jouis fulmine adulescens deiectus sit necesse est et fortasse recte Hartungius[2]) Cic. de off. III, 25 affert, quo loco Cicero tragici fortasse nostri narrationem secutus breuiter interitum Phaethontis ita describit: „Sol Phaethonti filio facturum se dixit, quidquid optasset. Optauit, ut in currum patris tolleretur. Sublatus est: atque insanus, antequam constitit, ictu fulminis deflagravit.“ Corpus enim Phaethontis in domum Meropis reportari debebat, quod uix fieri potuit, si procul ad Eridanum flumen decidisset. Qua re id quoque iterum confirmatur, quod supra de Heliadibus et Cycno demonstrauimus. Nam Hartungii[3]) de ea quaestione sententia, quomodo nostra tragoedia cum Heliadum fabula coniuncta sit, magis ridicula est, quam ut accuratius de ea disseramus.

Itaque si omnia, quae de Euripidis fabula protulimus, complexi erimus, facile intellegemus, Euripidem in hac fabula, ut saepius, mythos sibi traditos summa cum libertate tractasse et nouam tamquam formam inuenisse, quam non prorsum placuisse uel inde apparet, quod posteriores minus eius narrationem secuti sunt. Sed hoc unum omnes fere sibi uindicauerunt, Phaethontem clandestino stupro genitum esse, quod meo quidem iudicio Euripides primus inuenit. Ceterum idem poeta alio loco, quo de Heliadibus electrum flentibus loquitur (Hippol. 732 seqq.), communem fabulae narrationem sequitur, quod quidem tali loco ei erat faciendum, ut auditores, quas res poeta significare uellet, intellegerent[4]).

---

[1]) Hermes l. c. p. 405.

[2]) Eurip. rest. II p. 200 seq.

[3]) Eurip. rest. II p. 207 seq.

[4]) Cf. Buttmann: Mythologus. Berl. 1829 vol. II p. 342 „Allerdings sind die tragiker auch mythenschöpfer, aber nur in absicht der

Eodem modo etiam proximus, quod scio, auctor, qui fabulam Phaethonteam attigit, communem profert narrationem. Nam similiter atque Hesiodus, si hoc nomine uti licet, Plato (Timaeus 22 C.) ita narrat: „Ὥς ποτε Φαέθων Ἡλίου παῖς τὸ τοῦ πατρὸς ἅρμα ζεύξας διὰ τὸ μὴ δυνατὸν εἶναι κατὰ τὴν τοῦ πατρὸς ὁδὸν ἐλαύνειν τὰ τ᾽ ἐπὶ γῆς ξυνέκαυσε καὶ αὐτὸς κεραυνωθεὶς διεφθάρη, quae uerba, cum nihil noui nobis ferant, breuiter transire liceat.

Sed noua quaedam, quae ad fabulam nostram pertinent, Aristotelis nomine praedita nobis traduntur. Primo loco [1]) de antiqua Pythagoreorum opinione tractatur, qui Phaethontis casu circulum lacteum, qui dicitur, ortum esse putauerint, quod idem tradunt Diodorus Siculus [2]) et Stobaeus [3]). Altero loco [4]) de Electridibus insulis [5]) narratur, quae in mari Adriatico Eridani inuectu natae esse dicebantur. Nec procul ab Eridano paludem [6]) quandam esse calidam aquam gerentem et grauem odorem exhalantem, in quam Phaethontem Jouis fulmine ictum incidisse produnt. Multas autem in ripa esse populos, e quibus effluat electrum, quod dicitur. Atque eodem fere modo Apollonius [7]) fabulam nostram narrat. Addit autem populos esse Heliades mutatas, ac simul hanc Celtorum de electro fabulam affert: Apollinem patris iusso caelo relicto ad Hyperboreos uenisse multas lacrimas profundentem de filio Phaethonte, quem diua Coronis illi pepererit; ac interdiu accolas, noctu Heliades Phaethontem Jouis ictu combustum cum Apolline fleuisse; lacrimas autem guttis oleariis similes Eridani fluctibus deuectas esse. Qua de fabulae nostrae forma uix

---

erweiterung und ausführung derjenigen fabeln, welche sie dramatisch behandeln; solche mythen hingegen, welche sie nur beiläufig in ihre dichtung hineinzogen oder darauf anspielten, mussten aus der alten volkssage sein, da nur dadurch solche anspielungen ihren reiz erhielten "

[1]) Meteor I. 8, 2 et Olymp. in Arist. Met. I 8 (Ideler p. 198).
[2]) V 23 seqq.
[3]) Cf. Stob. Eclog. I, 28 p. 574.
[4]) De mirab. auscult. cap. 81.
[5]) Cf. Scym. Chium. 370 seqq.
[6]) Cf. Tzetz. ad Lycophr. 704.
[7]) Argon. IV 596 seqq. et Schol. ad u. 611 (Keil p. 504).

diiudicari potest, utrum ingenua et non nisi Graecis nominibus usurpatis narrata sit an uice uersa fabula Graeca ad illos Eridani accolas uenerit et ab iis mutata sit.

Deinde pauca dicenda sunt de Polybio, qui morem illum, quem Aeschylus iam fr. 67 (cf. p. 8) commemorat, accuratius describit. Narrat enim [1]) accolas Eridani fluminis atris indutos esse uestibus, quas ex Phaethontis maerore usque ad illud tempus habeant. Simulatque fabulam saepissime a poetis tragicis tractatam esse addit (πᾶσαν τὴν τραγικὴν καὶ ταύτῃ προςεοικυῖαν ὕλην).

Sed prorsus nouam Phaethontis genealogiam profert Apollodorus [2]). Cephalus, Hersae et Mercurii filius, ab Aurora raptus cum ea gignit Tithonum, cuius filius Phaethon nominatur. Quem locum similem esse illi Hesiodi (Theog. u. 986) facile cognoscemus, apud Apollodorum autem Phaethon ex filio nepos factus est, cum Tithonus, qui plerumque maritus Aurorae traditur, hoc loco filius eius deae est. Unde hanc fabulae formam ceperit Apollodorus, equidem nescio.

Adhuc Graecos tantum poetas intuiti sumus, qui de fabula Phaethontea tractauerunt, nunc etiam de Latinis nonnulla nobis dicenda esse uidentur. Ac primum quidem illos commemoraturi sumus, qui ante Ouidium rem aut totam aut ex parte nobis tradunt.

Lucretius [3]) primus omnium Romanorum, quantum scio, fabulam narrat hoc modo: Semel umor in aruis regnauit, cum Phaethontem rapax uis solis equorum per caelum et terras raptauit, donec Jouis fulmine iuuenis deiectus est. Sine dubio his uerbis „umor regnauit in aruis" poeta loquitur de undis Deucalioneis, quibuscum saepius Phaethontis interitus coniungitur [4]). Sed maioris momenti uerba sunt haecce:

---

[1]) Polyb. II 16.
[2]) Bibl. III 14 (Westermann) p. 114.
[3]) De rer. nat. V 395,
[4]) Cf. supra p. 6 et Wieseler: Phaethon p. 6 adn. 3.

„solque cadenti
Obuius aeternam succepit lampada mundi
Disiectos redegit equos iunxitque trementes
Inde suum per iter recreauit cuncta gubernans
Scilicet, ut ueteres Graium cecinere poetae.“

Nunquam adhuc inuenimus apud „ueteres Graium poetas“ Solem statim currum recepisse et ad occidentem perduxisse, quod non nisi ad Euripidis fabulae argumentum quadrat. Quapropter nostro hoc loco confirmari uidetur, quod supra (p. 17) de loco interitus Phaethontis suspicati sumus. Nam cum nulla omnino caeli perturbatione apud Euripidem propinqui de Phaethontis interitu certiores facti sunt, quod statim Sol ipse ex equo funali, in quo sedens filium secutus erat (p. 13), in currum inscenderat et iter cotidianum confecerat, adulescens ipse paulo postquam currum inscendit, ex eo deiectus esse uidetur, quacum re etiam locus Ciceronis, quem supra (p. 17) protulimus, optime congruit. Itaque Lucretium praeter ceteros Euripidis in hac re traditionem secutum esse confirmare non dubito.

Ceterum omnibus fere huius aetatis poetis ut Uarroni Atacino[1]) Catullo[2]) Horatio[3]) Uergilio[4]) Manilio[5]) fabulam nostram optime notam fuisse ex singulis eorum locis facile intellegi potest, sed omnes uulgarem tantum fabulae formam breuiter admodum significant. Accuratissime uero ornatissimeque profert fabulam Phaethonteam P. Ouidius Naso[6]) quem hoc loco prius tractaturi sumus, quamquam Diodorus Siculus scriptor Graecus, quod ad tempus quidem attinet, ante eum nominandus est. Quod qua de causa fiat, infra accuratius exponemus.

---

[1]) Apud. Quintill. Inst. orat. I 5, 17.
[2]) LXIV 290.
[3]) Od. IV. 11,25,
[4]) Ecl. VI, 62 seq. Aen. V, 105. X, 189.
[5]) Astron. I 734 seqq.
[6]) Met. IV 204 seq. Trist. III 4, 29 et imprimis Met. I 748 — II 408.

Atque cum Ouidii narratio in posterum maxime peruulgata et ab omnibus fere similiter narrata sit, paucis uerbis huius poeta argumentum proferre nobis liceat, qua in re Lactantii Placidi (Narrat. Fab. II) narrationem ex parte sequemur.

Epaphus, Jonis et Jouis filius, qui in Aegypto regnat, Phaethontem „Phoebo parente superbum“ ludibrio habet, quod Clymenes matris de falso parente uerbis confidat. Quo ludibrio exacerbatus adulescens matrem adit, ut patrem cognoscat, et ab ea ad Solem ipsum missus statim currus agitandi amore accenditur (I u. 777: concipit aethera mente). Sed postquam ad splendidissimam Solis regiam uenit, pater statim Phaethontem filium agnoscit et, ut testimonium eius rei det, eius precibus commotus per Stygem flumen, quidquid ille postulauerit, praestaturum se esse promittit. Tum temerarius ille adulescens patris currum petit neque precibus neque adhortationibus patris a proposito suo deterreri potest. Atque pater cum iureiurando obstrictus, ne filii optata expleat, recusare non possit, tandem filio bene de itineris periculis instructo currum tradit. Uix autem currum conscendit adulescens, cum iam equi solito duce carentes iter suum relinquunt et totum mundum pernicie implent, donec Jupiter mortalium et totius mundi misericordia commotus adulescentem timore pallidum fulmine de curru praecipitat. Atque illum quasi stellam in Eridanum flumen delapsus „Naides Hesperiae“ inueniunt atque sepeliunt. Unum autem diem sole eguisse tradunt, cum Sol et dolore et ira incitatus iterum cursum se confecturum esse negauerit. Tandem precibus omnium et Jouis imprimis minis, ut suum munus iterum susciperet, commotum eum esse narrant. Sed Clymene mater, postquam totum orbem terrarum peragrauit, tandem tumulo filii inuento cum sororibus Phaethontis (Phaethusa, Lampetie, [Aegle?]) „nocteque dieque“ miserum Phaethontem deflent. Quem fratris interitum conqueri cum sorores omnino non desinant, quattuor post menses in populos mutantur, quarum ex corticibus guttae defluunt, quas sole in sucinum mutatas Eridanus flumen recipit. Neque minus Cycnus, Stheneli filius, materno genere ac simul ami-

citia Phaethonti proximus, imperio relicto amicum suum adeo luget, ut deorum uoluntate in cycnum auem conuertatur.

Totam nos Ouidii narrationem complexos fundamenta quasi totius fabulae ex Euripide sumpta esse uix effugere potest. Neque cum Wilamowitzio[1]), qui et Ouidium et Nonnum Alexandrino quodam usos esse confirmat, consentire possum. Nam praeclarissimos quosque Graecorum poetas leuissimus ille Musarum amicus optime cognoscebat, nec uero illum assidui laboris impatientem Alexandrinorum libros saepius atque accuratius uoluisse puto, qui ipse illorum uirorum more flores undecunque decerptos in unum quasi fasciculum comportabat[2]). Itaque Plaehnii uiri docti uerba[3]): „Metamorphoseon et Fastorum Euripidem fontem fuisse uerisimile est" et alio loco[4]) „patere puto, Ouidium cum Metamorphoses componeret, Graecos tragicos et eos clarissimos aut inspexisse aut ex memoria adhibuisse. Quod autem alias fabulas ex eodem fonte fluxisse putemus, cum plurimae tragoediae exstiterint, de quarum argumentis aut nihil aut nimis pauca atque dubia nobis nota sint", optime dicta esse puto. Neque melius exemplum, quam leniter Ouidius fontibus suis usus sit, inueniri potest quam fabula Phaethontea. Nam rixam illam inter Epaphum et Phaethontem exortam ea tantum de causa eum addidisse persuasum habeo, quo facilius de Jonis fabula ad nostram traduceretur oratio, quamquam Hartungius[5]) iam apud Euripidem similem patris inuestigandi causam fuisse suspicatur. Sed apud hunc poetam non tam amici obiurgiis quam quod diuitem sponsam in matrimonium ducere debuit, incitatus erat adulescens, ut uerum patrem suum adiret.

Deinde nomina quidem Clymenes et Meropis ex Euripide usurpauit Ouidius. Meropem autem uix semel (I 763) nominat, quasi ipse hunc non bene cum reliquo fabulae suae argumento

[1]) Anal. Eurip. p. 158.
[2]) Cf. Müller: Prol. p. 92.
[3]) G. Plaehn: De Nicandro aliisque Graecis ab Ouidio in Metamorphosibus conscribendis adhibitis. Hal. 1882. p. 9.
[4]) l. c. p. 14.
[5]) Rhein. Mus. l. c. p. 574.

congruere senserit. Nam similiter atque apud Euripidem Phaethon stupro genitus est, nihilominus autem sorores, per quarum taedas filius matrem orat (I 763), in Meropis domo esse uidentur, quae res qua de causa uix cogitari possit, supra (p. 14 seq.) exposuimus. Ita uero illam de Heliadibus et Cycno narrationem optime addere potuit neque accuratius respexit poeta, quantopere illa narratione addita totum argumentum perturbaretur. Ceterum Clymene, quae quamquam apud Euripidem si non primas at certe secundas partes agit, apud Ouidium nullius fere momenti est, similiter Oceani filia ex Tethyde (II 156) genita est et eodem modo domus Meropis in Aethiopia (I 778) sita est, a qua haud procul regia illa Solis, quam tam splendide describit poeta noster, sita esse uidetur. Ex tribus sororibus duae nominantur, Phaethusa (II 346) et Lampetie (II 349), quippe quae cum duabus Schol. ad Od. XVII 208 notis (cf. p. 9) congruant, tertiae nomen „Aeglen" supponere possumus. Atque cum illo scholio Aeschyleae tragoediae argumentum contineri putemus, haec nomina Ouidius haud scio an ex Aeschylo sumpserit, quocum eodem modo Phaethontem in extremo occidente (in Hiberia II 325) decidentem facit. Quanta leuitate poeta fontibus suis usus sit, etiam ex iis cognosci potest, quae de his sororibus narrat. Nam hoc loco nihil omnino de patre earum commemorat, nisi quod Heliades eas appellat, alio uero loco (Trist. III 4, 29) eas Meropis filias nominat, nomen autem Heliades profert, quamquam sine dubio hoc nomen ab „Ἥλιος" ducendum est.

Et ne hoc quidem omittamus, Ouidius, quamquam Phaethontis imperitia totum mundum inflammatum esse narrat, tamen nihil omnino profert de undis Deucaleoneis, quae multis aliis locis[1]) cum incendio illo mundi coniunguntur. Cur hanc rem praeterit ille poeta, qui potius rem omnem exornare et illustrare quam contrahere solet? Quia de illo diluuio iam antea (I 260) alio fabularum suarum connexu locutus est et hoc loco eandem fabulam iterum tractare ueretur. Itaque

[1]) Cf. p. 6 et p. 19.

apud Ouidium Jupiter, ut incendium exstingueret, neque nubes neque imbres habuit (II u. 309 seq.) sed „saeuis compescuit ignibus ignes“ (II 313).

Ceterum multa etiam ex suo ipsius ingenio fabulae addit poeta. Ita splendidae Solis regiae, currus Solaris, aurorae descriptionem, deinde perniciosum Phaethontis iter, quaeque mala ex eo toti mundo exorta sint, ipsius ingenio Ouidius inuenit, atque magna ex parte etiam in nostram fabulam ualere uidentur Plaehnii uerba haecce[1]): „De grauissimis fabulae momentis, de personis, de locis, numquam ab iis, quae tradita inuenerat, discessit, uerum in his rebus stabilibus in usum suum adhibendis summa uersatur et libertate et arte. Res minoris momenti cum ei non placerent, omisit, uel breuissime tantum indicauit, alias auxit atque dilatauit; personarum naturam moresque praecipue cum ex tragoedia hauriebat, liberrime mutauit; ex compluribus auctoribus quae ingenio suo apta esse uidebantur, in unum conflauit neque curauit, ne hoc modo summa fabulae sui dissimilis euaderet; denique colores poeticos aut ex ingenio suo nouauit aut ex quolibet alio carmine uel Graeco uel Latino mutuatus est. Quae cum faceret id potissimum egit, ut aut facilem fabularum coniunctionem aut lumina orationis sententiasque splendidas atque facetas, aut affectus quam uehementissimos, aut controuersias rhetoricas ad artem in utramque partem disputandi exercendam aptas nancisceretur“. Neque minus cum hac eiusdem uiri docti sententia consentio, „Ouidium poesis Graecae scientia accuratissima praeditum in plurimis fabulis narrandis poetarum Graecorum cum tragicorum tum elegiacorum carmina aut praesto habuisse aut memoriter adhibuisse“. Quantopere Ouidius in fabula nostra Euripidis tragoediam secutus sit, paucis, quae habemus, fragmentis accuratius definiri non potest; cum uero summa libertate omnes res sibi traditas tractet, audacis esse uidetur, magnam Euripidis tragoediae partem e Metamorphosibus restituere, id quod Hartungius (Eur. rest. p. 201) conatus est.

---

[1]) l. c. p. 27 seq.

Hoc loco statim ceteros poetas Latinos, qui breuiter Phaethontem commemorant, proferre nobis liceat, e quibus Martialis uno loco (V 53) Basso cuidam Phaethontem ut aptam eius ingenio materiam commendat illum illudens, quod sperat fore, ut eodem modo ac Phaethon illius opera igne pereant; altero loco (VI 15 et similiter IV 31. 24. 59) de formica sucina gutta implicata loquitur. Ceteros ut Lucanum (II 415) Pap. Statium (Theb. I 219) Claudianum (In Ruf. II 211) commemorare satis est.

Sed iam redeamus, unde aberrauit nostra disputatio, cum poetarum Latinorum seriem perrumpere nollemus. Nam quod ad tempus quidem attinet, Diodorus Siculus, ad quem nunc transgredimur, ante Ouidium tractandus fuit. Sed cum poeta Latinus arctius cum Lucretio et Euripide praecedentibus cohaerere nobis uideretur, Ouidium compluresque alios, qui minus in rem nostram ualent, praemittendos putauimus.

Diodorus eo loco, quo de electro loquitur (V 23) sucinum in insula Basilea, quae e regione Scythiae supra Galliam in Oceano sit, nusquam alias inueniri narrat, qua in re nescio an insularum illarum, quas Aristoteles commemorat (cf. p. 18) reminiscatur. Deinde Phaethontem tam puerum fingit[1]), ut equos eum aspernatos a solito cursu exorbitasse dicat, cum adhuc semper adulescentem eum iam fuisse legerimus, ac simul equorum errore deuio circulum lacteum ortum esse tradit, quod iam Aristoteles e Pythagoreorum opinione commemorat (cf. p. 18). Deinde Solem consuetum iter obire a Joue iussum esse dicit, quae quidem traditio quasi medium quoddam inter Euripidis et Ouidii narrationem tenet. Nam apud illum sua sponte, apud hunc precibus et minis Jouis commotus munus suum iterum suscipit Sol.

Deinde postquam de Heliadibus in populos nigras conuersis locutus est, eas quotannis sub idem tempus lacrimas suas, e quibus sucinum et idem omnium splendidissimum et optimum fiat, demittere narrat. Nec uero hoc loco Diodorus Siculus

---

[1]) Cf. Cic. de Nat. Deor. III 31: Sol, in currum cum Phaethontem filium sustulit.

suam ipsius de fabula sententiam, sed ut supra (p. 18 seq.) fortasse Apollonius (Argon. IV 596 seqq.) indigenam fabulam profert, cui se ipsum nullam fidem adhibere profitetur. Ceterum illam quoque de Sole et Rhodo fabulam ab auctore nostro (V 56) proferri iam supra (p. 11) commemorauimus. Sed cum sex Solis filiorum nomina cum illis in scholio ad Pindari Ol. VII 131 seq. nominatis congruant, septimus in scholio Phaethon, apud Diodorum Candalus uocatur, quae nomina, quod ad sensum quidem attinet, certissime idem significant.

Neque minus quam Diodorus Siculus etiam aequalis fere eius Strabo geographicus, qui fabulam nostram (V 215) commemorat, se, quin uera sit, dubitare profitetur. Nam Eridanum flumen nusquam omnino terrarum esse, quamuis prope Padum flumen, a quo etiam Electrides insulae haud procul abessent, flumen illud fluere traditum sit. Quo loco Eridanus flueret, etiam a poetis ipsis dubitatum esse iam saepius uidimus, nec uero nos iterum de hac re satis superque tractata disputabimus[1])

Uerba deinde Plutarchi (de Tranq. Anim. 4) „*ὁ Φαέθων ἀναβὰς εἰς τὸν οὐρανὸν ἔκλαιεν, εἰ μηδεὶς αὐτῷ τοὺς τοῦ πατρὸς ἵππους καί τὰ ἅρματα παραδίδωσιν*“ Wieselerus (Phaethon p. 7. adn. 1) recte mihi ad Hesiodum (cf. p. 6) reuocare uidetur, apud quem auctorem „sorores iniussu patris equos iunxerant“ precibus certe fratris commotae.

Sed iam ad eum auctorem uenimus, qui primus fabulae nostrae causam interpretari conatur, ad Dionem Chrysostomum (Or. 36 ap. J. J. Reiske Lps. 1784 p. 96 et 58). Graecorum mythos ab ipsis Graecis inuentos esse arbitratus exemplum huius rei nostram profert fabulam. Graecos enim, cum Iouem patrem et Solem ipsos reprehendere non ausi essent, propterea quod tanto malo totus mundus affectus esset, in mortalem Solis filium culpam deriuasse. Quem patris currum ascendere cupientem, cum a patre, quod cuperet, impetrasset, totum mundum incendio affecisse, quod magnum suum propositum propter

[1]) Cf. K. Müllenhoff: Deutsche alterthumskunde. Berlin. 1870. I p. 221 seq.
Christ: Neue jahrb. f. phil. u. paed. 1871 p. 708.
v. Wilamowitz: Hermes XVIII p. 427. adn. 2.

uirium imbecillitatem perficere non potuisset. Tandem uero periisse illum maiore flamma combustum (*καὶ τέλος αὐτὸν διαφθαρῆναι, πληγέντα ὑπὸ κρείττονος πυρός*), quae uerba ultima ad Ouidii narrationem (cf. p. 24) referenda esse facile intellegi potest.

Atque iisdem fere temporibus Tatianus, Christianus quidam, (contra Graec. X p. 645 et XXXIX p. 668) interitum Phaethontis breuiter commemorat, neque aliud quidquam profert quam quod factum sit Cecropis tempore una cum diluuio Deucalioneo.

Sed paulo plura inuenimus in Pausaniae libro, qui uno loco (I 3, 1) de Phaethonte, Cephali et Hemerae (Aurorae apud Hesiodum) filio dicit Hesiodum secutus (cf. p. 5), altero I 30, 3) uerba facit de Cycno, qui uir musicus post mortem ex Apollinis uoluntate in auem conuersus sit. Quod quidem se credere non posse prouide addit Pausanias, uir puerili quodam ingenio.

Sed summo ludibrio derisor ille petulans Lucianus Phaethontis interitum tractat, qui primo loco (Deor. Dial. 25) hoc fere inter Iouem et Apollinem colloquium habitum esse fingit: Jupiter Soli opprobrio uertit, quod, cum ipse magna Solaris itineris pericula bene cognouerit, tamen imperito iuueni currum mandauerit. Deinde Sol, ut rem excuset, se filio et matri precantibus tandem indulgentem fuisse et filio multum antea admonito currum dedisse narrat. Quibus prolatis Jupiter filio ignoscit perniciem ei minans, si iterum talia susceperit. Quantum equidem scio hoc loco primum matrem ipsam cum filio patrem adisse narratur, quae quidem res, quomodo intellegi possit, infra (p. 32) explanabitur. Ceterum posteriore tempore imaginibus et gemmis saepius ita rem tractatam conspicere possumus, qua de re inspicias Wieselerum (Phaethon p. 29 seqq.), qui accuratius rem exposuit.

Altero deinceps loco (De astrol. 19) Lucianus, postquam Ouidii more fabulam narrauit, totam rem ludibrio afficit, nec minus tertio loco (De electro seu cycno 2), quo hoc fere modo narrat: Se ipsum ad Eridanum flumen uenisse et nautis illius regionis fabulas de Phaethonte et Heliadibus, deinde etiam de cycnis canentibus narrasse, sed ab illis derisum esse.

Nec multo post alter homo Christianus, Clemens Alexandrinus, postquam similiter atque alii tempus interitus Phaethontis cum undis Deucalioneis duobus locis (Strom. l. I c. XXI § 103 et l. I c. XXI § 136 ed Klotz Lps. 1831) coniunxit, tertio loco (Strom. l. V c. VIII § 54) rem ad morum rationem reuocat, cum ita fabulam tractat: „*Οὕτως καὶ Πλάτων ἐν τῷ περὶ ψυχῆς τόν τε ἡνίοχον καὶ τὸν ἀποστατήσαντα ἵππον τὸ ἄλογον μέρος, ὃ δὴ δίχα τέμνεται, εἰς θυμὸν καὶ ἐπιθυμίαν καταπίπτειν φησίν. ἢ καὶ τὸν Φαέθοντα δι' ἀκρασίαν τῶν πώλων ἐκπεσεῖν ὁ μῦθος αἰνίττεται.*“ Sed a Clemente parum apte Phaethontis exemplum allatum esse puto, cum Solis filius non tam impetu atque intemperantia equorum perditus sit quam sua ipsius nimia fiducia, qua maius suscepit quam quod perficere posset.

Deinde fortasse Philostrati (Imag. I 11) picturae descriptio nobis afferenda est, sed hoc munus potius esse eius mihi uidetur, qui fabulam Phaethonteam imaginibus et gemmis expressam explicandam sibi proposuit, quod quidem optime confecit Wieselerus libro illo saepius commemorato, qui inscribitur Phaethon. Quo in libro (p. 21) legas, quod uir ille doctissimus atque illustrissimus de nostro loco ingeniosissime doctissimeque exposuit.

At breuiter commemoranda sunt, quae Dionysius, qui uocatur Periegetes, de nostra fabula tradat [1]). Nam ut Apollonius (cf. p. 18) etiam hic auctor Heliades noctu tantum (u. 290 *ἐρημαίην ἀνὰ νύκτα*) lamentantes facit, quapropter illos poetas putasse elucet interitum Phaethontis uesperi accidisse; optime igitur fabula nostra de occasu solis dicta esse uidetur, id quod infra accuratius explicabimus. Ceterum hic locus in Etymologico Magno (p. 427, 6 seqq.) affertur, ubi scriptor uerbis Dionysii expositis Diodorum fabulae narratae auctorem nominat.

Breuiter etiam commemoranda mihi esse uidentur Quinti Smyrnaei (V 625) uerba, qui dicit, a Sole ipso Heliadum la-

---

[1]) U. 290 - 293. Cf. Eustath. ad Dionys. Per. 288 et Schol. Dionys. Perieg. 290.

crimas in sucinum mutatas esse, ut aeternam filio pararet memoriam:

καὶ τὸ μὲν Ἠέλιος γέρας ἄφθιτον υἷει τεύχων,
ἤλεκτρον ποίησε, μέγα κτέαρ ἀνθρώποισιν.

Jam uero ad Nonnum poetam transgrediamur, qui fabulam nostram similiter ac Ouidius amplissime et accuratissime tractauit, ita ut nobis quoque accuratius tractanda sit eius narratio, quam profert in carmine illo, quod inscribitur „Dionysica.“ Quo in carmine non modo saepissime, ut supra (p. 5) diximus, Solem ipsum Phaethontem nominat, sed etiam multis locis breuiter nostram attingit fabulam [1]). Imprimis Phaethontis fortunam in libro XXXVIII [2]) Mercurium narrantem fingens ita fere exponit: Oceanus ex Tethyde Clymenen filiam pulcherrimam genuit, quam cum Sol Oceani fluctibus corpus suum abluens uicinam nudam uidisset, amore inflammatus est. Pater uero (Oceanus) agitatori aetherio (*αἰθερίῳ . ἐλατῆρι*) puellam in matrimonium dat (u. 108—140). Filio deinde e puella genito pater suum ipsius indit nomen (u. 141—154). Auus autem Oceanus saepius cum puero lusitans signo quodam (u. 162 *κατήριπεν εἰς μέλαν ὕδωρ*) nepoti non longum esse tributum uitae spatium cognoscit, sed prudenti animo diuina oracula abscondit, ne Clymenes filium uehementer diligentis animum laniet (u. 155—166). Atque Phaethon, qui iam puer diuini patris amore praeditus aurigae munus lusitando exercet, aliquando in genibus paternis sedens multis cum lacrimis a patre petit, ut currum et equos sibi mandet, quod primum quidem ut munus difficilius quam quod puer efficere possit, pater abnuit (u. 167—211).

Sed cum filius quo magis pater abnuit, eo uehementius petat, Clymene matre filium precantem adiuuante Sol, quod fatum filii mutari non posse intellegit, precibus amborum indulget (u. 212—221). Deinde itinere, quod filio suscipiendum erat, accuratissime descripto (u. 222—291) Sol auream galeam

---

[1]) Cf. II 157; XI 324; XV 381; XIX 184; XXIII 90; 238; XXX 112 sqq. XXXIX 4. Numeris utor iisdem atque Koechly.

[2]) U. 108—434.

in filii capite ponit et corona radiis splendida ceterisque uestibus fllio datis Horae equos sub iugum adducunt. Qua re perfecta in currum inscendit adulescens, quem pater, cum breuem fore filii cursum cognoscat, trepido animo, mater autem Clymene, quae prope ripam apparet (u. 304 seq. ἐγγύθι δ' ὄχθης ἡμιφανὴς Κλυμένη) summo gaudio affecta abeuntem uident (u. 292 - 306). Atque initio quidem bene adulescens equorum cursum regit et ualde uniuersi caeli totiusque orbis terrarum adspectu delectatur. Sed cum equi paulum a zodiaco discesserint, auriga flagello utitur paterno, quo obstupefacti praetereaque inusitata uoce incitati equi eo magis a consueto itinere aberrant. Tum Lucifer stella timore affectus quam maxime admonet puerum, ne diutius stimulo usitans sibi ipse perniciem paret. Quibus adhortationibus neglectis audax Phaethon eo magis agitat equos, ita ut mox Solis curru per omnes caeli plagas errante ingens omnium siderum caelestium tumultus exoriatur (u. 307 — 409) Tandem uero Jupiter pater fulmine dementem aurigam e curru praecipitat in Eridanum fluuium, et postquam turbata mundi harmonia restituta est, Soli currum reddit, ut ipse cursum conficiat. Terra uero uniuersa ridet denuo et Jupiter imbre demisso omnes purgat terras et ignem uagantem exstinguit, Sol autem ipse rursus currum suum gubernat (u. 410 — 423). Phaethontem deinde Jupiter in siderum numerum refert et item Eridanum flumen, sorores autem in arbores mutantur, quarum ex foliis diuites destillant guttae (u. 425 — 434).

Argumento igitur breuiter exposito Nonnum poetam fabulae partes undecunque collegisse facile intellegi potest. Nec uero in iis auctoribus, quorum opera nobis sunt seruata, similiter atque apud hunc auctorem Sol iusto matrimonio cum Clymene ab ipso patre Oceano in matrimonium data coniunctus est. Quod fabulae momentum sine dubio a Nonno ipso non est inuentum, sed mihi quidem antiquissimum id uideri iam supra (p. 10 et 14) exposui, ubi meo indicio stuprum illud ab Euripide primo inuentum esse, Hesiodum autem et Aeschylum nihil omnino de hoc flagitio a Sole cum Clymene Meropis uxore commisso protulisse dicebam. Unde sequitur, ut Nonno alia atque apud

Euripidem et Ouidium causa fuerit fingenda, qua commotus Phaethon a patre currum petiuerit. Nam cum ab omnibus filius Solis agnitus sit, ita ut Oceanus auus ipse saepius cum nepote suo lusitet, apud Nonnum puer quasi ab ipsis Parcis incitatus perniciosum suscipit cursum. Interitus enim accidit, non quod pro homine mortali maius suscepisset, sed quod fato breue uitae tempus puero erat destinatum. Nam apud Nonnum Phaethon filius dei ex dea marina[1]) natus est et non nisi haec causa celeris mortis simul cum illo fato afferri potest, quod nimis puer (cf. u. 190 seq.) iam patris currum petiuit. Sed pater ipse filio imprudenti non indulsisset, nisi filium mortem effugere non posse haud ignorasset. Ceterum haec de fato opinio optime cum Aeschyli tragici de hac re sententia congruit, quam ob rem hanc fabulae partem Aeschyleam esse non dubito contendere. Itaque uehementer gaudeo, quod Hermannum uirum illustrissimum idem fere sensisse inuenio; dicit enim (Opusc. III p. 14): „Nonnum, quemadmodum Bacchas Euripidis multis in locis est imitatus, ita in Phaethontis rebus Aeschylum habuisse ante oculos“. Utrum uero hoc momentum ex ipso Aeschyli dramate, an ex Alexandrino quodam, ut affirmat Wilamowitzius (Anal. Eurip. p. 158 et p. 181 adn. 3), ceperit Nonnus, equidem diiudicare et nequeo et nolo.

Sed multa alia ex Ouidii narratione a Nonno sumpta mihi esse uidentur. Nam ut Ouidius (Met. II 60 seqq.) uasti Olympi rectorem ipsum currum Solarem regere non posse dicit, ita similiter Nonnus, quam difficile currus regi possit, exponit (u. 196 seqq.). Nec minus facile similitudinem quandam cognoscere possumus illos locos Ouidii (Met. II 63 — 99 et 126 — 140) et Nonni (u. 222 — 266) contemplantes, quibus Sol pater, cum filium a proposito deterrere non possit, pericula itineris faciendi describit. Atque simili modo, quantus postea equis aurigae non oboedientibus exoriatur tumultus, describunt Ouidius et Nonnus, id quod inuenies Met. II 167 — 303 et Dionys. XXXVIII 349 — 409, quamquam hac in re

[1]) Cf. u. 305 seq., quo loco sine dubio Clymene dea marina in mari prope litus natans fingitur.

Nonnus poeta pro suo ingenio nonnulla interdum aut addit aut praeterit, saepius certe ad uerbum fere sequitur Ouidium[1])

Fabula autem, qua de sororibus in populos mutatis agitur, postquam iam apud Ouidium laxo tantum uinculo cum Phaethontis interitu coniuncta est, a Nonno paucis admodum uerbis significatur, Cycni nulla omnino mentio fit. Sorores porro easdem cognouisse Nonnum inde intellegere licet, quod u. 170 Lampetiam commemorat, quae etiam apud Ouidium u. 349 eodem nomine apellatur. Ceterum Nonnus, qui de his rebus Aeschyli argumentum secutus esse nobis uidebatur, non habebat, cur tam paucis hanc rem attingeret, sed omnino in secunda fabulae parte tractanda unum Ouidium ante oculos habuisse eum nobis quidem constat.

Nec uero hoc omittere uolumus, apud Nonnum ipsam matrem Clymenen cum filio patrem adiisse (u. 217 *καί κυνρῇ Κλυμένη πλέον ἤτεεν*), quae res minime est mirabilis, si Clymene uxor legitima et filii, cuius interitum non praesagit, amantissima fingitur. Qua de causa etiam hoc momentum haud scio an fuerit iam apud antiquissimos auctores, e quibus etiam Lucianum (cf. p. 27) hausisse uerisimile esse potest, quod quidem ex illo solo Luciani loco certis causis munire non potuimus, cum ibi potius risus mouendi causa res allata esse uideretur.

Quod deinde Wieselerus (Phaethon. p. 8) profert de auctoris nostri uersibus 222 seqq., e quibus Phaethontem patris currum non modo in unum diem sed in annum postulauisse eluceat, parui mihi uidetur momenti, si omnino recte indicatum est. Nam pater, qui certissime filii interitum praesagiuit[2]), uix in totum annum ei currum mandare in animo habere potuit, ita ut ad hunc finem filio totius anni cursus, quem ipse facere solebat, a patre esset explicandus. Quapropter equidem nihil interesse existimo, utrum in unum diem an in longius tempus petiuerit currum Phaethon. Nam si bene res

[1]) Cf. Atlantem commemoratum apud Ouidium II 296, apud Nonnum u. 353; deindo Ouid. II 59 et Nonn. u. 199 et alia.

[2]) Cf. u. 303 seq. *τρομερῇ δ' ἐλελίζετο σιγῇ υἱέα γινώσκων μινυώριον.*

semel euenisset, audacissimus ille iuuenis saepius certe patris munere fungi noluisset.

Sed iam satis de Nonni narratione mihi dixisse uideor, nunc ad Romanos sermonis pedestris auctores redeamus, quoniam adhuc poetas fere solos inspeximus. Neque iterum de Plinii et Hygini narratione, quam supra (p. 6 seqq.) tractauimus, quidquam dicamus necesse est, sed statim transire liceat ad Seruium, Uergilii commentatorem, qui priore loco (Ad Aen. VI 659), postquam Eridanum fluuium apud nonnullos ad Inferos fluere dixit, mirabili rerum mutatione ita narrat: „Eridanus Solis filius fuit: hic, a patre impetrato curru, agitare non potuit: et cum eius errore mundus arderet, fulminatus in Italiae fluuium cecidit: et tunc a luce ardoris sui Phaethon appellatus est, et pristinum nomen fluuio dedit: unde mixta haec duo nomina inter Solis filium et fluuium inuenimus.“ Unde Seruius hanc nominum mutationem sumpserit equidem intellegere nequeo. Nusquam enim antea Solis filium nomine Eridano appellatum inueni, sed tantum post Phaethontis casum etiam Eridanum nominatum esse Phaethontem cognoui[1]). Ceterum ut hic cum myth. Vat. I 118 (ed. Bode), ita alter Seruii locus (Ad Aen. X 189) ad uerbum cum myth. Vat. II 57 congruit[2]), neque omittere uolumus tales historias ab aliena manu, ut uidentur, genuinis Seruii uerbis additas esse[3]).

Nec uero praeter illam nominum mutationem quidquam noui ex hac Seruii narratione cognoscimus nisi has duas, sed quae non multum ualere uidentur. Quarum rerum prima est, quod nonnullos, sorores Phaethontis non in populos sed in ulnos conuersas esse, tradidisse dicit[4]); altera, quod Eridanum interdum ad Inferos fluentem fictum esse commemorat. Quae quidem interpretatio sine dubio a posterioribus inuenta est, quibus Phaethontis interitus in extremo occidente accidisse

[1]) Lucan. II. 415 hunc habuisse pares Phoebeis ignibus undas.

[2]) Cf. Thilo et Hagen: Seruii Gram. com. uol. I praef. p. XXXVI.

[3]) Teuffel: Röm. litt. ed. IV. p. 1015. 2.

[4]) Cf. Wieseler: Phaethon p. 5. adn. 2.

uidebatur, cum saepius apud priores ut apud Euripidem iam primo cursu in oriente cecidisse miserum adulescentem sciamus. Nam posterioribus, qui nihil de Phaethontis catasterismo, si hac significatione uti liceat, sciebant, miserum illum adulescentem statim a Joue ad Inferos uel in Inferorum fluuium praecipitatum esse uerisimile uidebatur.

Sed priusquam ad Graecos scriptores redeamus postremos, unum commemorabimus uirum, qui mirabili quadam ratione fabulam nostram interpretatur, Fulgentium dico. Ac quamquam posterior quidam, Isidorus (Orig. lib. XIII cap. XXI) rem nostram tangit, tamen, cum hic nihil omnino noui proferat, Fulgentius ultimus scriptor Romanus erit, cuius narrationem intuebimur. Qui scriptor postquam paucis uerbis interitum Phaethontis commemorauit, eius originem ac fortunam allegorice, ut ita dicam, hoc modo interpretatur: „Semper ergo Sol cum aqua coiens aliquos fructus gignat necesse est; qui eo quod terris exsilientes appareant, phanontes dicuntur: *φαίνων* enim Graeci apparens dicitur. qui quidem fructus ad maturitatem sui solis ardorem quaerant necesse est: quo accepto, omnia feruoris incendio consumantur". Simili deinde modo etiam fabulam de Heliadibus Junio Julioque mensibus sucinum sudantibus interpretari conatur. Qua in interpretatione mirabili hoc certe uerum est, non casu accidisse, ut dea marina cum Sole patre Phaethontem i. e. nouum diem gigneret, qua de re infra pauca dicemus.

Restat ut paucos scriptores Graecos nominemus, quorum in scriptis ultimum, quantum scio, fabula Phaethontea commemoratur. Ac primum quidem anonymus quidam[1]), qui breuiter rem significat Phaethontis interitum cum Endymionis fortuna comparat; neque tamen qua causa commotus duorum adulescentium fortunas contulerit, intellegere possum. Et ne

---

[1]) Anonym. de Incred. p. 324 (Westermann): „*ὁ Φαέθων τὸν τοῦ ἡλίου δρόμον ἐτεκμήρατο, ὡς τὸν τῆς σελήνης Ἐνδυμίων, οὐ μέντοι ἀτρεκέως, ἀλλὰ ἀτελῶς τὸν λόγον ἀπολιπὼν ἀπέθανεν.*

de aliis quidem locis[1]) plura dici possunt, qui omnes paucis uerbis Phaethontis interitum, Heliadum in populos, Cycni in auem mutationem tradunt.

Deinde medio saeculo undecimo Doxopater[2]) quidam Phaethontis fortunam ut aptam tragoediae materiam commendat. Fabulam autem eodem modo ac priores narrat, cum nihil nisi causam mutet, qua commotus Sol pater filio precanti tandem indulserit: „*ὁ μὲν πόθος παράλογος ἔδοξε, τιμῶν δὲ τὴν φύσιν ὁ πατὴρ συνεχώρησεν*".

Jam uero ad postremum, quem intuendum nobis proposuimus, transgrediamur auctorem, ad Tzetzam, qui postquam uno loco (Ad Lycophr. 704) dixit de lacu Aorno, quocum Phaethontis casum coniungit, altero loco (Chil. IV 357 seq.) de populis Phaethonteis agere suscipit. Atque ut semper ita etiam hic totam suam doctrinam proferens primum quidem amplissime de Solis liberis loquitur, quorum in numero etiam quinque Phaethontis sorores commemorat, cum ceteroquin aut septem (cf. p. 6.) aut tres (cf. p. 9 seq.) nominentur. Fabula deinde breuiter narrata totam historiam inde exortam esse dicit, quod Phaethon quidam, regis, cui nomen Soli erat, filius in fluuium Eridanum deiectus fluctibus mortuus esset, qua interpretatione uix absurdius quidquam inueniri potest. Nec minus arida illa est interpretatio, quam ut e Plutarcho haustum profert Tzetzes: Globum igneum in Eridanum fluuium delapsum fluctibus exstinctum esse.

Sed duos locos, quos in Eudociae quod fertur Uiolario (ed. Uilloison. Uen. 1781 p. 206 et p. 261) inuenimus, uix praeterissemus, nisi nostro tempore a Pulchio[3]) uiro doctissimo

---

[1]) Heraclit de Incred. p. 317 (West.).
Anonym. Misc. p. 345,10 et p. 347,32 (West.).

[2]) *Δοξοπάτρου ὁμιλίαι* ap. Walz. Rhet. Gr. uol. II p. 202 et p. 210.

[3]) Cf. Pulch: Hermes XVII p. 177 — 192, ubi omnia, quae de Eudocia nostro tempore conscripta sunt, commemorata inuenies. De priore nostro loco (Uill. p. 206) loquitur Pulchius: „De Eudociae quod fertur Uiolario" Diss. Argent. 1880 p. 29.

totum opus a falsario quodam, quem Constantinum Palaeocappam fuisse putat Pulchius, medio saeculo XVI compilatum esse demonstratum esset. Sed id, quod locis commemoratis de fabula nostra legimus, minus dignum mihi uidetur, quam ut rem tam difficilem nec prorsus, ut mihi uidetur, diiudicatam attingere audeam.

Quoniam igitur ex innumerabili fere multitudine eorum auctorum, qui fabulam Phaethonteam aut multis aut paucis uerbis exposuerunt, eos praecipue tractauimus, qui fabulae aut fundamenta aut grauiores mutationes protulerunt, nunc, quae adhuc disputauimus, comprehendemus, deinde quae de uniuersa fabulae nostrae et forma et origine sentiamus, paucis uerbis explanemus. Ac mihi quidem persuasum est, si non Hesiodi certe Aeschyli temporibus Phaethontis fata hac fere ratione esse narrata: Sol cum dea marina (uel Clymene uel Rhodo) legitimo connubio coniunctus filium genuit, cui nomen datum est Phaethonti. Admodum adulescens Phaethon patris currum petit, in quo insedens totum orbem terrarum inspiciat. Ac pater quamquam perniciem filii prouidet, tamen cum contra Fati necessitatem filium seruare non possit, filii precibus indulget. Qui cum petitum impetrauerit paulo post equorum impetum coercendi non peritus toto mundo flammis incenso a Ioue in Eridanum flumen fulmine praecipitatur. Ibi sorores Heliades, quae fratrem mortuum nimis deflere non desinant, a Ioue in populos mutantur, e quibus semper guttae sucinae effluunt. Nullum nobis exstat certum indicium, quo etiam fabulam de Cycno, Liguriae rege et Phaethontis amantissimo, propter amici maerorem in auem, cui idem nomen est, mutato iam Aeschyli temporibus cognitam fuisse confirmare possimus; in iis enim, quae nobis sunt seruatae de eo narrationes, laxo semper uinculo cum reliqua fabula coniuncta uidetur Cycni.

Hanc deinde fabulam, quae de diis tantum deorumque filiis agebat, Euripides quasi ex Olympo in terram deduxit, cum stuprum illud a Sole cum Clymene, Meropis uxore commissum inuenit. Qua una re quantopere in posterum fabula tota mutata sit, supra (p. 13 seqq.) accuratius exposuimus neque hoc loco iterum inspiciamus necesse est. Itaque cum omnes fere mutationes, ut nuptiae cum dea ineundae et multa alia, a posterioribus neglecta sint, illud unum quod Phaethon iniusto flagitio genitus est, plerumque ab auctoribus conseruatum uidemus.

Et praeter ceteros hoc fabulae momentum retinet Ouidius, causam uero, qua commotus Phaethon patrem precibus adierit, hic poeta iterum mutat ac simul, unde poeticum eius ingenium elucere mihi uidetur, reliquas fabulae partes liberrime tractat. Atque fabulas de Heliadibus et Cycno, quas ab Euripide in Phaethonte tragoedia mea quidem opinione omissas esse supra exposui (p. 14 seq.), Ouidius poeta, quamquam in hoc rerum connexu uix tolerari possunt, tamen cum Phaethontis interitu coniungit, ut saepius fabulas paucis tantum uerbis profert nulla alia causa commotus nisi quod commemorare uult eas.

Ut uero ante Ouidium omnes fere auctores plus minusue Aeschylum aut Euripidem secuti sunt, ita post Ouidii mortem usque ad nostram aetatem forma, qua Ouidius fabulam tradidit, uulgaris facta et ab omnibus comprobata uidetur.

At Nonnus solus, quantum scio, magna ex parte ad uetustissimam fabulae formam rediit, quam cognouit siue ex ipso Aeschyli dramate siue ex Alexandrino quodam, qui Aeschylum secutus rem narrauit. Ita apud illum ut apud Aeschylum Sol iusto matrimonio cum Oceani filia coniunctus filium Phaethontem et Heliades genuit, sed, quod ad ceteras res attinet, quae de cursu ac interitu Phaethontis proferuntur, hic quoque poeta uulgarem traditionem i. e. Ouidianam sequitur, hoc uno excepto, quod Cycni mutationem omnino non commemorat.

Sed praeter hanc fabulam Phaethonteam duae aliae inueniuntur formae, quarum una apud Hesiodum Theog. u. 986 (cf. p. 5) de Cephali et Aurorae filio agitur. Alteram in Pindari carminibus (cf. p. 11) inuenimus, quamquam de ipso Phaethonte e scholio tantum ad hunc locum adscripto aliquid cognoscere possumus. Sine dubio autem Pindarus eam fabulae formam protulit, quae in Rhodo insula narrabatur.

Ceteri deinde scriptores ad totam fabulam intellegendam minoris sunt momenti, cum aut singula tantum exornent, aut narrationem plus minus ad unum ex quattuor illis auctoribus,

ad Aeschylum, Euripidem, Ouidium, Nonnum referant. Saepius etiam tres illas formas fabulae nostrae commiscent auctores, quod imprimis apud ultimos ut apud Nonnum, Tzetzam factum esse cognouimus, ita ut interdum ad unum fontem omnes hae fabulae reuocandae esse uideantur, quod quam falso fecerint, ex disputatione nostra eluxisse cupimus. Wilamowitzius uero simili modo iam apud Euripidem fabulam de Phaethonte Solis et de Phaethonte Cephali filio contaminatam esse suspicatus est, quod quidem nobis non probari supra (p. 15 seq.) exposuimus.

Sed cum Aeschyli, Euripidis, fortasse etiam iam Hesiodi temporibus uulgarem fabulae nostrae formam perfectam exstitisse certis, ut uidentur, causis confirmare possimus, de priore tempore nihil certi coniici potest. Immo uero ea quaestio, utrum tota fabula ab ipsis Graecis inuenta an ab aliis gentibus ad eos translata sit, non certo diiudicari posse mihi uidetur. Nam a duobus scriptoribus, ab Appollonio (cf. p. 18) et Diodoro Siculo (cf. p. 26) fabula ab Eridani accolis narrata traditur neque prosus mihi refutenda uidentur, quae de fabulae origine profert Muellenhoffius (l. c. p. 217 et p. 222 seq.). Qui uir doctissimus postquam totam fabulam inuentam esse, ut sucini origo declararetur, confirmauit, ita nostro sermone opinionem suam exponit: „Der ursprung einer sage, die eine solche geschichte wie der bernsteinmythus hinter sich hat, muss doch immer hoch hinauf reichen, auch wenn sie im vergleich mit den andern schon zu den jüngeren zu zählen ist. Phoenizier brachten den Bernstein wie das zinn, und wenn wir auch nicht einmal den namen, den bei ihnen das fossil führte, kennen, so wird doch die ansicht über seine entstehung, die der griechischen sage zu grunde liegt, nur die ihre sein. ja die sage ist im wesentlichen für eine phoenizische zu halten, der griechische Helios ist mehr als einmal der phoenizische Sonnengott und von selbstverbrennungen, denen der sturz des Phaethon sich vergleicht, sind semitische sagen und kulte voll. auch die Ligyer am nordwestlichen ocean, wie die Phaethonsage sie verlangt (p. 218), fanden wir nur in einer phoenizischen quelle. endlich die kunde, wie und wo der goldglänzende sonnenstein gefunden werde, können nur seefahrende Phoenizier mitgebracht haben, die über das brittische zinnland hinaus die küsten der nordsee aufsuchten, um ihn dort einzusammeln oder gegen ihre waare einzutauschen“. Atque mihi quidem, quod ad Heliades earumque lacrimas in sucinum mutatas attinet, Muellenhoffii opinio probatur. Nam eosdem mercatores, qui sucinum ad Graecos ferebant, fabulam de origine eius aut ex incolis earum regionum, e quibus electrum exportabant, auditam aut ab ipsis inuentam cum illo ad Graecos tulisse persuasum habeo. Deinde uero cum Welckerus[1]) ab Aeschylo locum Heliadum ad Rhodanum flumen positum esse existimet, quod iis temporibus Massilia sucinum ad Graecos transportatum sit, equidem simul cum sucino etiam fabulam de eius origine illis fere temporibus ad Graecos uenisse coniciam, quam fabulam, cum similitudinem quandam cum Graecorum traditione haberet, cum Phaethontis fabula coniunxerunt Graeci. Aeschylus deinde nouum hoc argumentum primus cum Phaethontis interitu coniunctum in Heliadibus tractauit, quae sententia minime cum illis, quae supra (p. 6 seqq.) de Hesiodo diximus, discrepat. Nam Hesiodo fabulam tantum de Phaethontis morte cognitam fuisse putamus[2]), nec uero Hygini fabulam, quae etiam Heliades et Cycnum commemorat, ad verbum Hesiodi narrationem tradere confirmemus. At mythographus posterior Phaethontis tantum historiam ab Hesiodo tractatam esse ratus facile reliqua momenta, quae posteriore tempore addita erant, quasi ab antiquissimo auctore praelata essent, breuiori fabulae narrationi addidit. Quae cum ita sint, etsi illa sententia Heliadum in populos et Cycni in auem mutationes ab exteris fortasse gentibus ad Graecos translatas esse mihi probetur, tamen simplex illa de Phaethontis Solis filii interitu fabula ad Graecorum ipsorum inuentionem reuocanda mihi esse uidetur. Qua re comprobata non habe-

[1]) Allg. schulz. p. 239.

[2]) Cf. Schol. Ambr. Od. XI 325: „*ἔνιοι δὲ αὐτήν τὴν Κλυμένην προγαμηθῆναί φασιν Ἡλίῳ, ἐξ ἧς Φαέθων ἐγένετο παῖς. ἡ δὲ ἱστορία παρὰ Ἡσιόδῳ*“, quo loco nihil de Heliadibus dictum est.

mus cur similes narrationes apud alias gentes, ut apud Germanos et Phoenices, exstitisse negemus.

Quomodo uere pulcherrima illa fabula exorta sit, facile intellegitur [1]). Ut Graeci solis cursum intuentes semper Solem deum in quadriga aurea sedentem iter caeleste confecisse putabant, ita solis occasus toto caelo rubescente quasi inuita Dei in Orcum i. e. noctis caliginem ruina iis uidebatur. Cum uero uno quoque die sol iterum oriretur, rem ita significabant, ut non solem ipsum sed eius filium, qui propter uirium imbecillitatem equos acerrimos coercere non potuisset, perniciosa illa ruina mortuum esse fingerent. Atque ut sole occidente totum caelum ardere uidetur, ita ardente Solis curru, cum equi solares imperiti Solis filii imperio non oboedientes a consueto itinere aberrauissent, totum mundum inflammatum atque combustum esse inueniebant Graeci, qui praeter omnes reliquas gentes toti naturae animam et uitam attribuebant et ubique deorum numina cognoscere sibi uidebantur [2]).

Neque fortuito mater Phaethontis Clymene, Oceani et Tethyos filia, nominata esse mihi uidetur. Nam contra opinionem Schoemanni [3]) hoc deae marinae nomen ab undarum strepitu ductum mihi uidetur, atque Sol, deus caelestis, cum mari uel cum filia Oceani quasi nouum diem i. e. Phaethontem genuit. Atque ut sol oriens mane ex Oceani fluctibus emergit, ita Phaethon e Clymenes gremio i. e. ex mari ortus est.

---

[1]) Cf. Schwenck: Etym. myth. andeutungen p. 341.
E. Most: De Hippolyto, Thesei filio. Diss. Marburg. 1840 p. 9.

[2]) Cf. Schiller: Die götter Griechenlands.

„Wo jetzt nur, wie unsere weisen sagen,
Seelenlos ein feuerball sich dreht,
Lenkte damals seinen goldnen wagen
Helios in stiller majestät".

[3]) Opusc. acad. II p. 148: „*Κλυμένη*, Cluentia et *Κλυτίη*, Cluuia, a *κλύω*, clueo, nihil aliud, opinor, quam inclyta, nobilis: quam ueteres interpretes de strepitu undarum cogitare maluerunt, recentioresque nonnulli *κλύειν* olim etiam eodem quo *κλύζειν* sensu dictum esse crediderunt".

Denique quod apud nonnullos auctores Phaethontem primo ascensu iam a Ioue praecipitatum esse inuenimus, simili modo interpretandum mihi uidetur. Mane enim caelum oriente sole eodem modo rubescit ac uesperi occidente sole. Itaque hoc quoque caeli, quod uidetur, incendium ad Phaethontis interitum reuocabant Graeci, quo Iouis fulminibus exstincto Sol pater ipse iter consuetum confecisse fingebatur, postquam equos perturbatos sedauisset. Ceterum O. Gruppius [1]), cuius de Wilamowitzii et Roberti commentationibus recensionem non ante inspexi, quam hanc disputatiunculam confeci, illam fabulae formam, qua Phaethon mane interit, uetustiorem esse contendit (cf. l. c. p. 1345). Sed cum hic uir doctissimus etiam aliarum gentium de nostra re mythos considerat, equidem, qui Graecos et Latinos tantum auctores tractaui, eius rationes et imprimis illa de Aurora, Phaethontis matre, dicta (cf. l. c. p. 1540—1543), utrum uera sint necne, diiudicare non possum.

---

[1]) O. Gruppe. Philol. wochenschrift 1883 n. 49. p. 1537—1547

Uita.

Gustauus Adolphus Bangert natus sum in urbe, cui nomen est Barmen, Kal. Mai. anno huius saeculi LVIII patre Christiano, matre Guilielma e gente Schlurmann, quos ambos mihi nondum decimum annum agenti subita morte ereptos esse adhuc lugeo. Fidei addictus sum euangelicae. Primis litterarum elementis imbutus inde ab autumno anni h. s. LXIX patriae gymnasium frequentaui, cuius praeceptores et imprimis Thielium directorem et Friesium tum praeceptorem illius scholae, nunc rectorem scholae Latinae, quae dicitur, Halensis, uiros illustrissimos atque doctissimos, pio gratoque animo semper uenerabor.

Maturitatis testimonium adeptus tempore paschali anni h. s. LXXVIII uniuersitatem Bonnensem adii, ubi nomen apud philosophorum ordinem professus initio inter diuersissimas disciplinas, ut fieri solet, uagatus sum. Scholis interfui per primos sex menses u. u. d. d. Birlinger, Buecheler, Philippson, Schaafhausen, Usener, Wilmanns, Witte. Autumno eiusdem anni Halas transgressus per quinque semestria imprimis litteris Graecis, Latinis, Theodiscis operam dedi. Deinde per tria semestria Dissenae, quod oppidum in Hannouera prouincia sita est, in schola priuata praeceptoris munere functus sum. Quo tempore peracto bene mihi obtigit, ut ad studia mea absoluenda Halas redire possem, ubi per septies sex menses, quos hac in uniuersitate uersatus sum, scholas audiui u. u. d. d. Dittenberger, Droysen, Erdmann, Haym, Heydemann, Hiller, Keil, Kramer, Schlottmann, Schum, Tschackert, C. Zacher, J. Zacher. Proseminarii philologici sodalis fui per tria, seminarii per duo semestria; per sex menses seminario paedagogico interfui. Praeterea Keil et J. Zacher, ut societatis et philologicae et Theodiscae particeps essem, benigne permiserunt.

Quibus uiris omnibus optime de me meritis gratias et nunc ago et semper habebo quam maximas.

Inde ab autumno anni superioris examine „pro facultate docendi" superato praeceptorum gymnasii ciuici Halensis numero candidatus probandus adscriptus sum.